

Pergamena 1

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Pergamena 1

1275

+ Anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, regnante domino nostro Karolo, Dei gratia invictissimo rege Sicilie, ducatus Apulie, principatus Capue, Alme Urbis senatore, Andegavie, Provincie et Folcalcherii comite ac Romani imperii, per Sanctam Romanam Ecclesiam in Tuscia vicario generali, regni eius anno undecimo feliciter amen. Mense augusti tertie indictionis, in presentia Nicolai de Muro regii iudicis Potentie et testium subscriptorum, nos magister Vitalis fabricator et Mattheus filius meus, una cum Rosa uxore mea, cives et habitatores Potentie, vendimus et tradimus tibi Leterio de Troia, civi et habitatori eiusdem terre Potentie, vineam unam cum terra una vacua eidem vinee contigua, que fuerunt olim venerabilis patris et compatris nostri domini Manfredi, quondam cantoris Ecclesie Potentine, sitam in tenimento Potentie in contrata de Serra Merdaroli, hiis finibus circumdatam: ab uno latere est via publica et tenet Iacobus de Guillelma, a secundo latere tenet magister Tibaldus, a tertio latere tenet magister Petrus aurifex et est etiam quedam terra vacua et vinea quas tenet Robbertus de Laviano. Per quas terram et vineam ipsius Robberti est introitus et exitus predicte vinee et primo per quintanam vicinalem, a quarto vero latere tenent Alexander de Monte Murro et Ogerius Decimanus. Hanc autem vineam cum predicta terra vacua qualiter est prescriptis finibus circumdata per designata latera quattuor, una cum omnibus accessionibus et ingressionibus suis, tibi dicto Leterio de Troia, ut dictum est, vendimus et tradimus. Pro quibus vinea et terra vacua recepimus a te uncias auri septem nomine pretii, totum videlicet pretium ipsius venditionis. Renuntiantes exceptioni

non numerate pecunie, non electi seu ponderati auri, beneficio legis ressiore que subvenit deceptis ultra dimidiam iusti predi et omni alii legum auxilio quo possemus infringere dictam venditionem. Et si dicta vinea cum predicta terra aliquo tempore dicto pretio plus valeret, damus tibi nomine donationis. Quapropter damus et tradimus tam tibi quam heredibus tuis liberam et omnimodam potestatem tenendi, possidendi, vendendi, donandi, permutandi nec non et quocumque modo volueritis alienandi predictam vineam cum terra predicta. Insuper repromittimus tibi et heredibus tuis defendere et guarentire contra omnes homines qui te vel heredes tuos de predicta vinea et terra molestare vel inquietare temptaverint more iudiciorum. Et si nos prefati venditores vel nostri heredes vel aliquis per nos vel nostros heredes contra te vel contra tuos heredes de predicta vinea et terra venierimus vel eam deinceps vobis calumpniati fuerimus seu per quodlibet ingenium reppetere vel subtrahere a vobis quesierimus aut ipsam vineam et terram, ut dictum est, defendere et guarentire ab omnibus hominibus noluerimus more iudiciorum debeamus componere augustales aureos viginti nomine pene, medietatem tibi vel heredibus tuis et alteram medietatem regali curie, venditione predicta nichilominus rata perpetuo permanente. Propterea guadium tibi dedimus et fideiussorem de evictione posuimus, magistrum Iohannem medicum de Accareno, civem Potentie. Et ad maiorem cautelam ego predicta Rosa, uxor predicti magistri Vitalis, presente et consendente prenominato Mattheo filio nostro, iuravi ad Sancta Dei Evangelia, nunquam per me vel per personam suppositam contra predictam venditionem venire, set eam ratam et illibatam perpetuo custodire.

Et taliter ego Iacobus Cumbus, pupplicus civitatis Potentie notarius, hoc presens instrumentum venditionis de mandato supradictorum contrahentium scripsi quia interfui et meo signo signavi.

+ Ego Nicolaus de Muro, regius iudex Potentie qui supra. + Ego magister Gilibertus medicus interfui. + Ego Iohannes de Gunella Potentie notarius interfui. + Ego magister Iulianus medicus interfui. + Ego Guillelmus de Brondusio interfui. + Ego Nicolaus Spetialis interfui. + Ego Dionisius Guillelmi aurificis interfui. + Ego Cossus de Bersatio testis sum.